

mandatum, sed etiam primum, non pro ordine Scripturæ, sed pro dignitate virtutis. Hi autem soli hujus mandati in se suscipiunt magnitudinem, & primatum qui non solum diligunt Dominum Deum suum, sed etiam illa tria susceperint, scilicet ex toto corde &c. Docuit autem, quod non solum est magnum, & primum, sed etiam quod effect secundum simile priori, unde sequitur: *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Si autem, qui diligit iniquitatem, odit animam suam: Psal. 10. manifestum est quod non diligit proximum sicut seipsum, cum nec seipsum diligat. *Augustinus* 1. de Doctr. Christ. cap. 30. Manifestum est autem omnem hominem proximum esse putandum, quia erga neminem operandum est malum. Jam vero si vel cui præbendum, vel à quo præbendum est nobis officium misericordiæ, recte proximus dicitur; manifestum est hoc præcepto, quo tenemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, à quibus nobis tanta misericordiæ impenduntur officia quanta nobis in Scripturis animadvertere facile est. Ex quo & ipse Dominus noster proximum se nobis dici voluit, quoniam seipsum Dominus Jesus significat optularum esse semivivo jacenti in via. *Augustinus* 8. de Trin. (cap. 6. in fine.) Qui autem amat homines, aut quia iusti sunt, aut ut iusti sint, amare debet: sic enim & seipsum amare debet, aut quia iustus est aut (1) ut iustus sit: sic enim diligit proximum sicut seipsum sine ullo periculo. *Augustinus* 1. de Doctrin. Christ. (cap. 22.) Si autem teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est; non succenseat aliquis homo, si & ipsum propter Deum diligis. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc eum eo debet agere ut etiam ipse toto corde diligat Deum. *Chrysostomus* super Matth (hom. 42. in oper. imperf.) Qui autem hominem amat, simile est sicut qui Deum amat: quia imago Dei est homo in quo Deus diligitur, sicut Rex in sua imagine honoratur. Et propter hoc dicitur hoc mandatum simile esse primo. (a) *Origenes.* Vel aliter. Quod mandatum sequens primo est simile, significat idem esse officii, & meriti in utroque: neque enim (2) aut Dei sine Christo, aut Christi sine Deo potest utilis esse dilectio ad salutem.

Sequitur: *In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ.* *Augustinus* de Quæst. Evan.

(1) *Al. desit.* (2) *Al. omittitur* aut (3) *P. Nicolai ordinat sic:* ejusque dilectionis modus præscriptus sit, sequitur dilectio proximi, ut eum sicut teipsum diligas, eoque simul &c. (4) *Al. vincere.* Ex edit. P. Nicol. (a) *Hilarius* (b) In op. imperf. ut supra, non sicut prius, *Chrysostomus* in hom. per quem verus intelligitur.

(Lib. 1. cap. 33.) *Pendet* dicit, id est illic refertur ubi habet finem. *Rabbanus.* Ad duo enim hæc præcepta pertinet totus decalogus: præcepta quidem primæ tabulæ ad dilectionem Dei; præcepta secundæ ad dilectionem proximi. *Origenes* (tract. 23.) Vel quia qui omnia implevit quæ scripta sunt de Dei dilectione, & proximi, dignus est magnas gratias à Deo percipere, ut intelligat omnem legem, & Prophetas. *Augustinus* 8. de Trin. cap. 7. Cum autem sint duo præcepta, in quibus pendet lex, & Prophetæ, dilectio Dei, & proximi; non immerito Scriptura plerumque pro utroque unum ponit, sive dilectionem Dei sicut est illud Rom. 8. „Scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:“ sive dilectionem proximi, tunc est illud Galat. 5. „Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.“ Sed hoc ideo quia qui proximum diligit, consequens est etiam ut Deum diligat: ex una enim eademque caritate Deum, proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem, & proximum propter Deum. *Augustinus* 1. de Doctr. Christ. cap. 26. Sed tamen quoniam excellentior, & supra nostram naturam est divina substantia, præceptum quo diligimus Deum à proximi dilectione distinctum est: quod si te totum intelligas, id est animum, & corpus, & proximum tuum, id est animam, & corpus, nullum diligendarum rerum genus in his duobus præceptis prætermisum est. Cum enim præcurrat dilectio Dei, (3) sequatur dilectio proxime, ejusque dilectionis modus præscriptus sit, ut eum sicut te ipsum diligas; simul & tui abs te dilectio prætermisum non est.

(e) *Chrysostomus* (b) in hom. 73. Judæi æstimantes Christum esse hominem purum, eum tentabant; nec eum tentassent, si Filium Dei credidissent. Volens ergo Christus offendere quod cognoscebat fallaciam cordis eorum, & quia Deus erat, nec manifeste voluit (4) dicere veritatem, ne occasione blasphemiarum invenientes Judæi amplius insanirent, nec omnino tacere, quia ad hoc venerat ut veritatem annuntiaret: ideo talem interrogationem eis proposuit, ut ipsa interrogatio eis ostenderet quis esset: unde dicitur: *Congregatis autem pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?* *Chrysostomus* in hom. 72. Discipulos quidem primum interrogavit quid alii dicerent de Christo, & tunc quid ipsi dice-

rent; hos autem non ita. Profecto enim seductorem eum dixissent, & malum. Existimabant autem quoniam Christus purus homo erat; & ideo dixerunt eum esse filium David: & hoc est quod subditur: *Dicunt ei, David.* Ipse autem hoc reprehendens, inducit Prophetam dominationem ejus, & proprietatem filiationis, & eohonorationem quæ est ad Patrem, testantem: unde (1) dicitur: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam &c.* *Hieronymus.* Testimonium hoc de 109. Psalmo sumptum est. Dominus ergo (2) David vocatur, non secundum id quod de eo natus est, sed secundum id quod natus ex Patre semper fuit, præveniens ipsum carnis suæ patrem. Vocat autem eum Dominum suum, non errore incepto, nec propria voluntate, sed Spiritu Sancto. *Remigius.* Quod autem dicit: *Sede à dextris meis,* non intelligendum est quod Deus corporeus sit, ut dexteram, vel sinistram habeat; sed à dextris Dei sedere; est in honore, & æqualitate paternæ dignitatis manere. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 42. in oper. imperf.) Puto autem quod hanc interrogationem non solum contra pharisæos, sed etiam contra hæreticos posuit: nam secundum carnem vere filius erat David, Dominus autem secundum divinitatem. *Chrysostomus* in hom. 72. Non autem in hoc stat; sed ut timeant, subdit: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* ut saltem ita eos inducat. *Origenes,* tract. 23. Deus etiam non ad perditionem solum ponit ad scabellum pedum Christi inimicos ipsius, sed eorum salutem. *Remigius.* *Donec* autem pro infinito ponitur, ut sit sensus: (3) *Sede semper,* & inimici tui in sempiternum subjiciuntur pedibus tuis. *Glossa.* (a) Quod autem à Patre inimici sub-

jiuntur Filio, non infirmitatem Filii, sed unitatem naturæ significat: nam & Filius subicit inimicos Patri, quia Patrem clarificat super terram. Et ex hac auctoritate concludit: *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* *Hieronymus* (super *Congregatis autem*.) Interrogatio hæc nobis proficit usque hodie contra Judæos: & hi enim, qui consentiant Christum esse venturum, hominem simplicem, & sanctum virum asserunt de genere David. Interrogemus ergo eos docti à Domino: Si simplex homo est, & tantum filius David; quomodo David vocat eum Dominum suum? Judæi autem ad diluendam interrogationis veritatem, frivola multa confingunt; vernaculum Abraham asserentes, cujus filius fuit Damascus Eliezer, & ex ipsius persona scriptum Psalmum, quod post eadem quinque Regum, Dominus Deus Domino suo Abraham dixerit: *Sede ad dexteram meam, donec ponam &c.* Quos interrogemus, quomodo dixerit Abraham ea quæ sequuntur; & respondere cogamus quando Abraham ante Luciferum genitus sit, & quomodo sacerdos fuerit secundum ordinem Melchisedech, pro quo Melchisedech obtulerit panem, & vinum, & à quo decimas prædæ accepit. *Chrysostomus* in hom. 72. Hoc tantum imposuit finem ipsorum disputationibus, quasi magnum, & sufficiens præcludere eorum ora: unde sequitur: *Et nemo poterat respondere ei verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Siluerunt enim ex tunc non volentes, sed non habendo aliquid dicere. *Origenes,* tract. 23. Si autem interrogatio eorum fuisset ex voluntate discendi, numquam eis talia proposuisset ut amplius non essent ausi eum interrogare. *Rabbanus* (cir. finem Comment.) Ex hoc autem intelligimus venena invidiæ superari posse, sed difficile quiescere.

(1) *Al. subditur.* (2) *Al. filius David.* (3) *Al. Sed semper.*

Ex edit. P. Nicol. (a) Sive Anselmus.

CAPUT XXIII.

(a) **T**unc Jesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite; secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.

(b) Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi. Unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim pater vester qui in cælis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus. Qui major est vestrum,

bus ad poenitentiam imponunt; & sic dum poena praesens fugitur, contemnitur poena futura. Si enim fasces super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris; necesse habet ut aut fasces rejiciat, aut sub pondere confringat: sic & homini, cui grave pondus poenitentiae imponis, necesse est ut aut poenitentiam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus (1) amplius peccet. Deinde est erratum, modicam poenitentiam imponentes; nonne melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem? Ubi paterfamilias largus est, dissolutior non debet esse tenax: Si Deus benignus, ut quid sacerdos (2) ejus austerus? Vis apparere sanctus? Circa tuam vitam esto austerus, circa aliorum benignus: audeant te homines parva mandantem, & gravia facientem. Talis est autem sacerdos qui sibi indulget, (3) & alios exigit, quemadmodum malus descriptor tribuit in civitate, qui se relevat, & onerat tribuentes.

(b) *Chrysostramus* in hom. 73. Supra Dominus arguerat scribas, & pharisaeos crudelitatis, & negligentiae; consequenter autem arguit eos inanis gloriae, quae fecit eos à Deo recedere: unde dicit: *Omnia autem opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* *Chrysostramus* super Mat. (hom. 43. op. imperf.) In omni re nascitur quod ipsam exterminat, sicut ex ligno vermis, & ex vestimento tinea: unde sacerdotum ministerium, qui positi sunt ad aedificationem sanctitatis, corrumpere diabolus nititur, ut hoc ipsum bonum, dum propter homines fit, fiat malum. Tolle hoc vitium de clero, & sine labore omnia refecabis: ex hoc enim fit ut difficile clerici peccantem poenitentiam agant. Vult autem Dominus in hoc ostendere causam propter quam non poterant credere Christo; hoc est, quia omnia faciunt ut videantur ab hominibus: impossibile enim est ut credat Christo caelestia praedicanti qui gloriam hominum concupiscit terrenam. Legi enim aliquem interpretantem hunc locum: Supra cathedram, idest in honore, & gradu, quo fuerat Moyses, constituti sunt scribae & pharisaei indigne, (4) qui legem prophetantem de Christo venturo praedicabant aliis, ipsi autem non recipiebant praesentem. Propter hoc hortatur populum audire legem, quam praedicabant, idest credere in Christum praedicatum à lege, & non imitari scribas, & pharisaeos incredulos. Et reddit causam quare praedicabant ex lege Christum venturum, & non credebant in eum: quia scilicet

(1) *Al.* melius. (2) *Al.* deest ejus. (3) *P. Nicolai legit* & ab aliis gravia exigit. (4) *Al.* qui prophetantes. (5) *Al.* intentione. (6) *Al.* & nunc.

omnia opera sua faciunt ut ab hominibus videantur; idest, quia non praedicabant Christum venturum desiderio adventus ejus, sed ut doctores legis esse ab hominibus viderentur. *Origenes* (tract. 24.) Ad hoc autem opera sua faciunt ut ab hominibus videantur, visibilem suscipientes circumfessionem, & visibiliter corporalia fermenta auferentes de donibus suis, & similiter his similia agentes. Christi vero discipuli legem in occultis implent, quasi in occulto constituti Judaei, ut Apostolus dicit. *Chrysostramus* in hom. 73. Vide autem hic, quod cum quadam (5) intentione eos incusat. Non enim simpliciter ait, quod faciunt opera sua ut videantur ab hominibus, sed addidit *omnia*. Deinde monstrat quod neque in magnis vane gloriabatur, sed in quibusdam vilibus rebus: unde subditur: *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* *Hieronymus* (super *Dilatant phylacteria*.) Dominus enim, cum dedisset mandata legis per Moysen (Deut. 5.) ad extremum intulit: „Ligabis ea in manu tua, & erunt semper ante oculos tuos:“ & est sensus: Praecepta mea sunt in manu tua, ut opere compleantur; sint ante oculos tuos, ut die, ac nocte mediteris in eis. Hoc pharisaei male interpretantes scribebant in membranis decalogum Moysi, idest decem legis verba, compilantes ea, & ligantes in fronte, & quasi coronam capitis facientes, ut semper ante oculos moverentur. Jusserat quoque aliud Moyses (Num. 15.) ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad Israelis populum discernendum: ut quomodo in corporibus circumcisio signum Judaicae gentis daret, ita vestis haberet aliquam differentiam. Superstitiosi vero magistri captantes auram popularem, atque ex mulierculis captantes luca, faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes, & sedentes interdum pungerentur, & quasi hac commotione retraherentur ad ministeria servitutis Dei. Pictaciola ergo illa decalogi, phylacteria vocabant, idest conservatoria: eo quod quicumque habuissent ea, quasi ob custodiam, & munitum sui haberent: non intelligentibus pharisaeis quod haec in corde portanda sunt, non in corpore; alioquin & amaria, & arcae habent libros, & notitiam Dei non habent. *Chrysostramus* (hom. 43. in op. imperf.) Illorum autem exemplo (6) adhuc multi aliqua nomina Hebraica Angelorum consingunt, & scribunt, & alligant; quae non intelligentibus metuenda videntur: quidam vero aliquam partem Evan-

gelli scriptam circa collum portant. Sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur, & auditur ab omnibus? Cui ergo in auribus posita Evangelia nihil profunt, quomodo eum possunt circa collum suspensa salvare? Deinde ubi est virtus Evangelii? In figuris litterarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis; si in intellectu, ergo melius in corde posita profunt quam circa collum suspensa. Alii vero sic exponunt hunc locum: quia dilatant verba sua de propriis observantiis, quasi phylacteria, idest conservatoria salutis, ea populo assidue praedicantes. Fimbrias autem vestimentorum magnificentas dicit supereminentias eorundem mandatorum. *Hieronymus* (parum ante illud, *Vos autem nolite vocari Rabbi*.) Cum autem superflue phylacteria dilatent, & magnas faciant fimbrias, gloriam (1) cupientes ab hominibus, consequenter arguuntur in reliquis; unde (2) dicitur: *Amant enim primos accubitus in caenis, & primas cathedras in synagogis.* *Rabbanus.* Notandum, quod non saltari in foro, non primo sedere, vel discumbere vetat eos quibus hoc officii ordine convenit; sed eos qui haec, sive habita, sive non habita, indebite amant, à fidelibus quasi improbos (3) dicit esse cavendos. *Chrysostramus* (hom. 43. in op. imperf.) Non enim vituperat eos qui in primo loco recumbunt, sed eos qui amant primos discubitus; ad voluntatem vituperationem referens, non ad factum. Sine causa enim loco se humiliat qui corde se praefert: aliquis enim jactator audiens laudabile esse in ultimo loco discumbere, discumbit post omnes; & non solum jactantiam cordis non dimittit, sed adhuc aliam jactantiam humilitatis acquirit, ut qui vult videri justus, & humilis videatur. Multi enim superbi corpore quidem in novissimo recumbentes, cordis autem elatione videntur sibi in capite recumbere: & multi sunt humiles in capite recumbentes, & conscientia se in ultimo esse existimant. *Chrysostramus* in hom. 73. Intende ubi in eis vana gloria dominabatur, in synagogis scilicet, in quas intrabant alios directuri: in caenis hoc pati qualitercumque tolerabile erat, quamvis doctorem in admiratione esse oporteat, non in Ecclesia solum, sed ubique. Si autem diligere talia est inculatio, quam malum est studere ut his aliquis potiar? *Chrysostramus* super Mat. (hom. 43. in op. imperf.) Primas etiam salutationes amant, non solum in tempore, ut eos primum salutemus; sed etiam in voce, ut clamantes dicamus, Ave Rabbi; & in corpore, ut flexis capitibus eis incurvemur; & in loco, ut in publico salutentur: unde dicit:

Et salutationes in foro. *Rabbanus* (super *Nolite vocari Rabbi*.) Quamvis in hoc culpa non careant, si iidem in foro litibus interesse qui in cathedra Moysi magistri synagogae cupiunt appellari, & vocari ab hominibus Rabbi: *Chrysostramus* super Mat. (hom. 43. op. imperf.) Idest, vocari volunt, & non esse: nomen appetunt, & officium negligunt. *Origenes* (tract. 24.) In Ecclesia etiam Christi inveniuntur mensarum suscipientes primatum, ut diacones sicut: consequenter autem primas cathedras eorum, qui dicuntur presbyteri, praeripere ambiunt: quidam autem machinantur ut Episcopi vocentur ab hominibus, hoc est Rabbi. Christi autem discipulus diligit quidem in spiritualibus coenis recubitus primos, ut meliora spiritualium ciborum manducet: diligit etiam, cum Apostolis sedentibus super duodecim thronos, primas cathedras, actibus bonis dignum se praebere festinans cathedris hujusmodi: sic autem & salutationes diligit quae sunt in mundanis caelestibus, idest caelestibus primitivorum congregationibus. Vocari autem Rabbi neque ab hominibus, neque ab aliquo alio diligit justus, quia unus est Magister omnium: unde subdit: *Vos autem nolite vocari Rabbi.* *Chrysostramus* in hom. 73. Vel aliter. Praemissorum, de quibus pharisaeos incusaverat, alia quidem sicut parva, & vilia praetermissit, quasi discipulus de his instrui non indigentibus; sed quod erat omnium malorum causa, idest thronum appetere magistratum, hoc in medium ducit ad discipulos instruendum: unde subdit: *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester.* *Chrysostramus* super Mat. (hom. 43. in op. imperf.) Quasi dicat: *Nolite vocari Rabbi*, ne quod Deo debetur, vobis praesumatis. Nolite & alios vocare Rabbi, ne divinum honorem hominibus deseratis. Unus est enim Magister omnium, qui omnes homines naturaliter docet. Si enim homo hominem erudiret, omnes homines discerent qui habent doctores; nunc autem quia non homo docet, sed Deus; multi quidem docentur, pauci autem discunt. Non enim homo intellectum praestat homini docendo, sed à Deo praestitum per admonitionem exercet. *Hilarius* (can. 24.) Et ut meminere discipuli se filios parentis unius, & per novae nativitatis generationem terreni ortus excessisse primordia, subdit: *Omnes autem vos fratres estis.* *Hieronymus* contra Helvidium (à medio.) Omnes autem homines affectu fratres dici possunt: quod in duo dividitur; in speciale, & commune. In speciale, quia omnes Christiani fratres vocantur; porro in commune, quia omnes homines ex

(1) *Al.* captantes. (2) *Al.* sequitur. (3) *Al.* docet.

uno patre nati, pari inter nos germanitate conjugimur.

Sequitur: *Et patrem nolite vocare vobis super terram. Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 43. operis imperf.) In mundo enim, quamvis homo hominem generat, tamen unus est pater qui omnes creavit. Non enim initium vitæ habemus ex parentibus, sed transitum vitæ per eos accipimus. *Origenes* (tract. 24.) Sed quis non vocat patrem in terris? Qui per omnem actum secundum Deum impletum dicit: *Pater noster, qui es in calis*: supra 6. *Glossa*. (a) Quia vero apparebat quis esset omnium pater in hoc quod dixerat: *Qui es in calis*, vult exponere quis sit omnium magister: unde præceptum de magistro iterum repetit, dicens: *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus. Chrysoſtomus* in hom. 73. Non tamen, dum dicitur Christus Magister, excluditur Pater; sicut neque ex hoc quod Deus Pater noster dicitur, hominum Pater excluditur Christus. *Hieronymus* (ubi supra.) Queritur autem quare adversum hoc præceptum Apostolus doctorem Gentium se esse dixerit, aut quomodo in monasteriis vulgato sermone se invicem patres vocant. Quod sic solvitur. Aliud est esse natura patrem, (1) vel magistrum, aliud indulgentia. Nos si hominem patrem vocamus, honorem ætati deserimus, non auctorem nostræ offendimus vitæ. Magister enim dicitur ex consortio veri magistrum: & ne infinita replicem, quomodo unus per naturam Deus, & unus Filius non præjudicat ceteris, ne per adoptionem dicitur, & filii; ita & unus Pater, & Magister non præjudicat aliis, ut abusive vocentur & patres, & magistri. *Chrysoſtomus* in hom. 73. Non solum autem Dominus primatus cupere prohibet, sed ad contrarium auditorem inducit: unde subdit: *Qui major est vestrum, erit minister vester. Origenes* (tract. 24.) Vel aliter. Et si ministrat quis verba divina, sciens quia Christus in eo fructificat, nequaquam se magistrum, sed ministrum profitetur: unde sequitur: *Qui major est vestrum, erit minister vester*: quoniam & ipse Christus cum esset vere magister, ministrum se esse professus est, dicens: *Ego sum in medio vestrum, quasi qui ministrat*. Bene autem post omnia quibus vana gloria vetavit concupiscentiam, addidit dicens: *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur. Remigius*. Quid sic intelligitur. Omnis qui se de suis meritis extollit, apud Deum humiliabitur; & qui se de beneficiis humiliat, apud Deum exaltabitur.

(1) Al. vel matrem. (2) Al. insertum. (3) Al. clausula.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nec in Glossa quæ nunc extat, nec in Anselmo, nec alibi occurrit.

(c) *Origenes* (tract. 25.) Christus quasi vere Filius Dei illius qui legem dedit; secundum similitudinem benedictionum quæ sunt in lege, dixit & ipse beatitudines eorum qui salvantur; secundum similitudinem autem maledictionum positarum in lege ponit vae adversus peccatores, dicens: *Vae vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ*. Qui fatentur bonitatis esse adversus peccatores ista pronuntiare, intelligant quia simile est propositum Dei in maledictionibus legis; five autem illa maledictio, five istud vae, non ex pronuntiante contingit peccanti, sed ex peccatis, quibus dignum se præbet ad susceptionem istorum, quæ Deus, discipline causa prænuñtiavit, ut convertantur homines ad bonum: sicut pater increpans filium, profert verba maledictionis; nec tamen vult illum dignum fieri maledictionibus illis, sed magis ab eis divertere. Hujus autem vae causam subdit: *Qui claudis regnum calorum ante homines; vos autem non intratis, nec introeuntis finit intrare*. Hæc duo præcepta naturaliter inseparabilia sunt: quoniam hoc ipsum sufficit ad expulsionem quod alios non permittit intrare. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 44. in op. imperf.) Regnum calorum dicitur Scripturæ, quia in illis (a) institum est regnum calorum: janua est intellectus earum. Vel regnum calorum est beatitudo cælestis; janua autem est Christus, per quem introitur in eam. Claviculæ autem sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi, & interpretandi Scripturas; clavus autem est verbum scientiæ Scripturarum; per quam aperitur hominibus janua veritatis. Apertio autem ejus est interpretatio vera: vide autem, quia non dixit, *Vae vobis*, qui aperitis, sed *qui claudis*: ergo non sunt Scripturæ (3) clausæ, licet sint obscuræ. *Origenes* (tract. 25.) Pharisei ergo, & scribæ nec intrabant, nec eum volebant audire qui dixit Joan. 10. „ Si quis per me introierit, salvabitur: „ & nec intrantes, id est eos qui credere poterant propter ea quæ a lege, & Prophetis ante fuerant declarata de Christo, introire sinebant, cum omni terrore januam claudentes: adhuc derogabant doctrinæ ejus, & subvertebant omnem prophetiam Scripturam de eo, & blasphemabant omne opus ipsius quasi falsum, & a diabolo factum. Sed & omnes qui mala conversatione sua dant exemplum peccandi in populo, & qui faciunt injuriam, scandalizantes pusillos, claudere videntur ante homines regnum calorum. Et hoc peccatum invenitur quidem in populis, maxime autem in doctoribus, qui do-

cent quod decet secundum justitiam Evangelii homines, non autem faciunt quod docent. Bene autem viventes, & bene docentes aperiant hominibus regnum calorum, & dum ipsi intrant, alios provocant introire. Sed & multi non permittunt intrare in regnum calorum intrare volentes, quando & sine ratione excommunicant quosdam propter aliquem zelum, qui meliores sunt quam ipsi; & ipsi quidem non permittunt eos introire. Illi autem qui sobrii sunt mente, patientia sua tyrannidem eorum vincentes, quamvis vetiti, tamen intrant, & hæreditant regnum. Sed & qui cum multa temeritate seipſos dederunt ad professionem docendi priusquam dicerent, & Judaicas fabulas imitantes, detrahunt eis qui ea quæ sursum sunt in Scripturis requirunt, claudunt quantum ad se ante homines regnum calorum.

(d) *Chrysoſtomus* in hom. 74. De reliquo Dominus de gula eos reprehendit; &, quod deterius est, quoniam non a divitibus, sed a viduis accipiebant unde ventrem implerent; & illorum inopiam conterebant quam relevare oportebat: unde dicitur: *Vae vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum. Glossa*. (a) Id est, qui vestra superstitione nihil intenditis nisi ut prædam de subjecta plebe faciatis. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 44. oper. imperf.) Sexus autem mulierum incautus est, quia non omnia quæ videt, aut audit, cum ratione considerat: mollis etiam est, quia facile flecitur vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. Virilis autem sexus & cautior, & durior est. Propterea simulatores sanctitatis circa meliores maxime negotiantur: quia nec intelligere eorum simulationes possunt, & facile ad eorum dilectionem inclinantur religionis causa. Præcipue tamen circa viduas negotiantur: primo quidem quia mulier non facile decipitur habens consiliarium virum; deinde quia non facile de facultatibus suis aliquid dant, cum sint in potestate viri. Propterea ergo Dominus, dum Judaicos sacerdotes confundit, Christianos monet ne viduis mulieribus amplius commorentur quam ceteris: quia est voluntas mala non sit, tamen suspicio mala est. *Chrysoſtomus* in hom. 74. Deinde & hujus rapinæ modus erat gravior: additur enim, *Orationes longas orantes*. Quicumque enim malum facit, dignus est poena; sed qui a religione causam accipit nequitie, graviore est obnoxio poenæ: unde sequitur: *Propter hoc amplius accipietis judicium. Chrysoſtomus* super Matth.

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. procedebat. (2) P. Nicolajus habet obsecratio.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Interlinealis.

(hom. 44. in op. imperf.) Primum quidem pro eo quod estis iniqui; alterum pro eo quod figmentum accipitis sanctitatis: avaritiam enim vestram, religionis colore depingitis, & quasi præstatis diabolo arma Dei, ut ametur iniquitas, dum pietas æstimatur. *Hilarius* (can. 24.) Vel quia hinc (1) procedit regni cælestis (2) observatio, ut in obeundis viduarum domibus retineatur ambitio; ideo accipiet amplius judicium, quia poenam proprii peccati, & reatum alienæ ignorantie debebit. *Glossa* (interlinearis.) Vel quia „ servus sciens, & non faciens, vapulabit multis: “ Luc. 12.

(e) *Chrysoſtomus* in hom. 74. Post præmissa, rursus eos Dominus alter inculcat, & quia inefficaces sunt ad multorum salutem, cum multo labore indigeant ut ad salutem unum convertant; & quia non solum sedes sunt circa eos, quos convertunt, sed eorum etiam destructores, dum eos corrumpunt pravæ vitæ exemplis: unde dicitur: *Vae vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum. Hilarius* (can. 24.) Maris autem, & terræ peragitatione significat in totius orbis finibus eos esse Christi Evangelio obsecratos, & legis iugo contra justificationem fidei aliquos subdituros. Proselyti enim sunt ex Gentibus in synagogam recepti, quorum futurorum raritas in uno indicatur. Neque enim post Christi prædicationem doctrinæ eorum fides relicta est; sed quisquis acquisitus fuerit ad fidem Judæorum, filius fit gehennæ. *Origenes* (tract. 25.) Quicumque enim post Salvatorem judaizant, docentur imitari affectum eorum qui dixerunt in illo tempore, *Crucifige eum*: infra 27. unde sequitur: *Et cum factus fuerit, faciatis eum filium gehennæ duplo quam vos. Hilarius* (can. 24.) Ideo autem poenæ duplicata erit filius, quia neque sit remissionem peccatorum Gentilium consecutus, & societatem eorum qui Christum persecuti sunt, sit secutus. *Hieronymus* (super *Vae vobis qui circuitis*.) Vel aliter. Scribæ, & pharisæi totum lustrantes orbem; id studii habebant, de Gentibus facere proselytum; id est, advenam incircumcisum miscere populo Dei. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 44. op. imperf.) Non autem propter misericordiam, volentes eum salvare quem debebant; sed aut propter avaritiam, aut additis in synagoga Judæis, sacrificiorum adderet oblatio, aut propter vanam gloriam. Qui enim seipsum mergit in gurgite peccatorum, quomodo alterum a peccatis vellet eripere? Numquid magis misericos potest al-

S 4

teri

teri aliquis esse quam sibi? Ex ipsis ergo actibus ostenditur qui propter Deum aliquem vult convertere, aut propter vanitatem. *Gregorius 31, Moral. (a) cap. 7.* Quia vero hypocritæ, quamvis perversa semper operentur, loqui tamen recta non desunt; bene loquendo quidem in fide, vel conversatione filios pariunt, sed eos bene vivendo nutrire non possunt: quanto enim se libentius terrenis actibus inierunt, tanto negligentius eos quos (1) genuerant, agere terrena permittunt. Et quia obduratis cordibus vivunt, ipsos etiam quos generant filios nulla pietate debiti amoris agnoscunt: unde & hic de hypocritis dicitur: *Et cum fuerit factus, factis eum filium gehennæ duplo quam vos. Augustinus, contra Faustum (Lib. 18. cap. 29.)* Hoc autem, non quia circumcidebantur, dixit; sed quia eorum mores imitabantur à quibus imitandis suos cohibuerat, dicens: *Super cathedram Moysi, &c.* In quibus verbis utrumque debet adverti; & quantum honor delatus sit doctrinæ Moysi, in cuius cathedra etiam mali sedentes, bona docere cogeantur; & inde fieret profelytus filius gehennæ, non quidem verba legis audiendo, sed eorum (2) facta sectando. Propterea autem duplo quam illi, quia hoc negligebat implere quod propria voluntate susceperat, non ex Judæis natus, sed sponte Judæus factus. *Hieronymus (ubi supra.)* Vel quia antedum esset Gentilis, (3) simplicitate erabat, & erat semel filius gehennæ; videns (4) autem magistrorum vitia, & intelligens destruere eos opere quod verbo docebant, revertitur ad vomitum situm, & Gentilis factus, quasi prævaricator majori poena dignus erat. *Chrysostomus super Matth. (hom. 54. op. imperf.)* Vel quia forte sub cultura idolorum constitutus, vel propter homines iustitiam servabat; factus autem Judæus malorum magistrorum provocatus exemplo, fiebat pejor magister. *Chrysostomus in hom. 74.* Cum enim virtuosus fuerit magister, discipulus imitatur; cum autem fuerit malus, superexcedit. (b) Filius autem vocatur gehennæ, quomodo filius perditionis, & filius hujus sæculi: unusquisque enim cuius opera facit, hujus filius appellatur. *Origenes (tract. 25.)* Ex hoc autem loco discimus quoniam & eorum qui in gehenna futuri sunt, erit differentia tormentorum, quando alter & simpliciter filius gehennæ, alter vero dupliciter. Sed & hic vi-

(1) *Al. generant. (2) Al. sectam. (3) Al. simpliciter. (4) Al. deest autem. (5) P. Nicolai legit præceptores.*

Ex edit. P. Nicol. (a) Super illud Job 39. de Struthione dictum, *Relinquit in terra ova sua;* sed in antiquis codd. partim cap. 7. partim 8. nec eadem serie in Gregorii textu hæc habentur, sed multis interjectis, ut nec occasione hujus loci Matthæi, de quo nec leviter meminit.

(b) *Hieronymus.* Eius nomine prætermisso prius ista confundebantur cum Chrysostomi textu.

dere oportet si generaliter est fieri aliquem filium gehennæ, ut puta Judæum, aut Gentilem, aut etiam specialiter, ut per singulas species peccatorum fiat quis filius gehennæ: ut justus quidem secundum numerum iustitiarum suarum augetur in gloria, peccator autem secundum numerum peccatorum suorum multiplicetur in gehenna.

(f) *Hieronymus*, ubi supra. Sicut in phylacteriis, & fimbriis dilatatis opinio sanctitatis captabat gloriam, & per occasionem gloriæ quærebant lucra; sic alia traditionis fraude inventa, impietatis arguit (5) transgressores. Si quis enim in contentione, seu in aliquo iurgio, vel in causâ ambiguo jurasset in templo, & postea convictus esset mendacii, non tenebatur criminis: & hoc est quod dicit: *Vae vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est;* quasi dicat, Nihil debet. Sin autem jurasset in auro, & pecunia, quæ in templo sacerdotibus offerebatur, statim id in quo jurabat, cogeatur exsolvere: unde sequitur: *Qui autem juraverit in auro templi, debet, vel debitor est. Chrysostomus super Matth. (hom. 44. in op. imperf.)* Templum quidem ad gloriam Dei pertinet, & ad utilitatem sacerdotum offertur. Judæi ergo aurum quo ipsi delactabantur, & dona quibus placebantur, sanctiora dicebant esse quam ipsum templum: ut homines promptiores facerent ad offerenda dona quam ad preces fundendas in templo. Unde convenienter reprehendit Dominus, dicens: *Stulti, & cæci: quid enim majus est: aurum, an templum, quod sanctificat aurum?* Multi autem nunc Christiani sic insipienter intelligunt. Ecce enim si aliqua causa fuerit, modicum videtur facere qui jurat per Deum; qui autem jurat per Evangelium, majus aliquid fecisse videtur. Quibus similiter dicendum est, *Stulti, & cæci:* nam Scripturæ propter Deum scriptæ sunt, non Deus propter Scripturas. Major ergo est Deus, qui sanctificat Evangelium, quam Evangelium, quod sanctificatur ab eo. *Hieronymus (super Vae qui dicitis, Quicumque juraverit.)* Rursus si quis jurasset in altari, perjurii reum nemo retinebat; si autem jurasset in dono, vel in oblationibus, hoc est in hostia, vel in victimis, in similia, &

ceteris quæ offeruntur Deo super altare; hoc studiosissime repetebant. Totum autem faciebant non ob Dei timorem, sed ob divitiarum cupiditatem: unde sequitur: *Et qui juraverit in altari, nihil est; qui autem juraverit in dono quod super illud est, debet.* Arguit enim eos Dominus stultitiæ, & fraudulentia: quod multo majus sit altare quam hostiæ, quæ sanctificantur ab altari: unde sequitur: *Cæci: quid enim majus est: donum, an altare, quod sanctificat donum?* *Glossa. (a)* Et ne forte in tantam insaniam prorumperent ut dicerent, aurum sanctius esse templo, & donum altari; eos alia ratione convincit, quia videlicet in juramento quod fit per templum, & altare, continetur juramentum quod fit per aurum, vel per donum: & hoc est quod subdit: *Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt. Origenes (tract. 25.)* Similiter, quoniam Judæi consuetudinem habebant per cælum jurare, ad reprehensionem eorum subdit: *Qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super ipsum. Non ergo, sicut arbitrantur, eyadunt periculum in eo quod non per Deum jurant, sed per thronum Dei, scilicet cælum. Glossa (ordinaria.)* Qui enim per subjectam creaturam jurat, & per divinitatem præsentem creaturæ jurat. *Origenes (tract. 25.)* Est autem juramentum confirmatio verbi deo juratum. Juramentum ergo intelligendum est testimonium Scripturæ, quod profertur ad confirmationem verbi quod loquimur: ut sit quidem templum Dei Scripturæ divina; aurum autem sensus (1) positus in ea. Sicut autem aurum quod fuerit extra templum, non est sanctificatum; sic omnis sensus qui fuerit extra divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur, non est sanctus. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam nostros intellectus assumere, nisi ostenderit eos esse sanctos, ex eo quod in Scripturis continentur divinis. Altare autem est hominis cor, quod principale habetur in homine. Vota autem, & dona quæ ponuntur super altare, est omne quod supponitur cordi, ut orare, psallere, elemosynas facere, & jejunare. Sanctum ergo facit omne votum hominis cor ejus, ex quo votum ei offertur. Ideo non potest honorabilius esse votum quam cor hominis, ex quo transmittitur votum. Si ergo conscientia hominis non pungat, fiduciam habet ad Deum, non propter dona, sed quia, ut ita dicam, altare cordis sui bene construxit. Terrum est ut dicamus quod super templum, id est super omnem Scripturam, & super altare, id est super

omne cor, est intellectus quidam qui dicitur (2) cælum, & thronus ipsius dicitur Dei, in quo est videre facie revelata, cum venerit quod perfectum est, faciem veritatis. *Hilarius (can. 24.)* Adveniente etiam Christo, inutilem docet esse fiduciam legis: quia non in lege Christus; sed lex sanctificatur in Christo; in quo veluti sedes, thronusque sit positus; atque ita stulti, cæcique sunt, qui sanctificante prætermisso, sanctificata venerantur. *Augustinus de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 34.)* Templum etiam, & altare, ipsum Christum intelligimus; aurum, & donum, laudes, & sacrificia precum, quæ in eo, & per eum offerimus. Non enim ille per hæc, sed ista per illum sanctificantur.

(g) *Chrysostomus in hom. 74.* Supra Dominus dixerat, quod ligabant graviora onera, & aliis imponebant, quæ ipsi nec tangere volebant; hic autem rursus ostendit, quod in parvis quærentes diligentiam, magna contemnebant: unde dicitur: *Vae vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui decimas mentam, & anethum, & cyminum. Hieronymus (super Vae vobis qui decimatis.)* Pharisæi enim, quia præceperat Dominus propter alimoniam sacerdotum, & levitarum, quorum pars erat Dominus, omnium rerum offerri in templo decimas, ut intellectus mysticos dimittamus, hoc unum habebant studium, ut quæ villa fuerant comportarentur; cetera quæ erant majora, parvipendebant: unde sequitur: *Et reliquistis quæ graviora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem.* Ex hoc capitulo arguit eos avaritiæ, quod studiose etiam villum olerum decimas exigant, & iudicium in disceptatione negotiorum, misericordiamque in pauperes, & fidem in Deum, quæ magna sunt prætermittant. *Chrysostomus super Matth. (hom. 44. op. imperf.)* Vel quia sacerdotes avaritia pleni, si quis decimas alicujus rei minimæ non obrulisset, corripiebant eum quasi magnum crimen fecisset; si quis (3) autem alterum lædebant, aut in Deum peccabat, non curabant eum corripere: de lucro quidem suo solliciti, & de gloria Dei, ac salute hominum negligentem. Servare enim iustitiam, & facere misericordiam, & habere fidem, propter suam gloriam Deus mandavit; decimas autem offerre propter utilitatem sacerdotum, ut sacerdotes quidem populo in spiritualibus obsequantur, populi autem in carnalibus sacerdotibus subministrant. Sic & modo fit, quia omnes de honore sunt solliciti, de honore autem Dei nulli; portiones etiam suas vigilanter defendunt, sed circa obsequium

Ecclē-

(1) *Al. deest positus. (2) In Veneta Nicolini edit. an. 1593, est cælum, in quo est videre &c, intermedii omisissis. (3) Al. omittitur autem.*

Ex edit. P. Nicol. (a) Nec in Glossa quæ nunc est, nec in Anselmo, nec alibi occurrit.

Ecclesie curam impendere non attendunt. Si populus recte decimas non obtulerit, murmurant omnes; si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eos. Sed quia scribarum, & pharisaeorum, ad quos loquebatur, quidam populares erant; non est incongruum ut aliam expositionem faciamus, propter eos qui decimas dabant: nam qui accipit decimas, recte decimare dicitur, & qui dat. Scribæ ergo, & pharisæi minimarum quidem rerum decimas offerebant, ostendendæ religionis gratia; in iudiciis autem erant iniusti (1) in fratres, sine misericordia, in veritatem increduli. *Origenes* (tract. 25.) Sed quoniam contingens erat ut audientes quidam Dominum ista loquentem, contemnerent minimarum rerum decimationem; sapienter addidit: *Et hæc oportuit facere*, hoc est iudicium, misericordiam, & fidem, & illa non omittere, id est decimationem mentæ, anethi, & cymini. *Remigius*. Ostendit quippe Dominus his verbis quoniam omnia præcepta legis, tam maxima, quam minima, sunt implenda. Redarguuntur autem qui elemosynas de fructibus terræ faciunt putantes se minime posse peccare; quibus nihil profuit elemosynæ, nisi à peccatis studeant cessare. *Hilarus* (can. 24.) Et quia minoris (2) periculi esset decimationem oleris, quam benevolentis officium præterire, irridet eos consequenter Dominus, dicens: *Duces cæci excollantes culicem, camelum autem glutientes*. *Hieronymus* (super *Duces cæcorum*.) Camelum puro esse magnitudinem præceptorum; iudicium, misericordiam, & fidem; culicem decimationem mentæ, anethi, & cymini, & reliquorum olerum virium. Hæc autem præcepta Dei, quæ magna sunt, devoramus, atque negligimus; & operationem religionis in parvis, quæ lucrum habent, cum diligentia demonstramus. *Origenes* (tract. 25.) Vel (3) *excolantes culicem*; id est expellentes à se minima delicta, quæ culices nominavit; *camelum autem*, (4) *glutientes*; id est, committentes maxima delicta, quæ nominat camelos, animalia videlicet tortuosa, & grandia. Scribæ autem moraliter sunt qui amplius nihil æstimant positum in Scripturis quam simplex sermo demonstrat; pharisæi autem sunt omnes qui iustificat semetipsos, & dividunt se à ceteris, dicentes: Noli mihi appropinquare, quoniam mundus sum. Menta autem, & anethum, & cyminum, ciborum conditæ sunt, non principales cibi. Sic in conversatione nostra, quædam sunt necessaria ad justificationem, ut

(1) *Al.* in fratribus. (2) *P. Nicolai legit* periculi. (3) *Al.* excolentes. (4) *Al.* glutunt. (5) *Al.* sunt etiam quasi &c. (6) *Al.* lavant.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Cap. 7. vel in antiquis exemp. cap. 14. super illud Job 1. *Fuit possessio eius septem millia ovium, & tria millia camelorum.*

iudicium, misericordia, & fides; alia (5) sunt quasi conditientia actus nostros, & suaviores eos facientia, ut abstinentia risus, jejuniium, flexio genuum, & huiusmodi. Quomodo autem non æstimantur cæci qui non vident? Quoniam nihil prodest cautum esse dispensatorem in rebus minimis, cum principalia negliguntur. Hos ergo sermo præiens confundit; non quidem leviter prohibens observare, sed principalia præcipiens cautius custodire. *Gregorius* 1. *Moral.* (a) (cap. 14.) Vel aliter. Culex susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquerunt ergo culicem Judæi, qui seditiosum latronem dimitti petierunt; camelum vero glutierunt, quia eum qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descendat, exingere clamando conati sunt.

(h) *Hieronymus* (super *Væ vobis qui mundatis quod desoris est.*) Diversis verbis, eodem sensu quo supra arguit pharisæos simularioribus, & mendacii; quod aliud ostendant hominibus foris, aliud domi agant: unde dicitur: *Væ vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod desoris est calicis, & paropisidis*. Non hoc dicit, quod in calice, & paropside eorum superstitione moraretur, sed quod foris hominibus ostenderent sanctitatem; quod manifestum est ex eo quod addidit, dicens: *Intus autem pleni estis rapina, & immunditia*. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 44. oper. imperf.) Vel hoc dicit, quia Judæi quotiens ingressuri erant in templum, aut sacrificia oblaturi, aut per dies festos, seipso, & vestimenta sua, & utensilia (6) lavabant; & à peccatis nemo seipsum purgabat: cum Deus neque corporis munditiam laudet, neque sordes condemnet. Pone tamen quod Deus odit sordes corporum, & vasorum, quæ necesse est ut ipso usu sordidentur; quanto magis sordes conscientie horret, quam, si volumus, semper mundam servamus? *Hilarus* (can. 24.) Arguit ergo eos qui iactantiam inutilis studii sequentes, utilitatis perfectæ ministerium derelinquant. Calicis namque usus interior est; qui si obsoverit, quid proficiet locus exterior? Atque ideo interioris conscientie nitor est obtinendus, ut ea quæ corporis sunt, forissecus abluantur: & ideo subdit: *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, & paropisidis, ut fiat & id quod desoris est, mundum*. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 44. oper. imperf.) Non autem hoc dicit de sensibili calice, aut paropside, sed de intelligibili: qui si nunquam reti-

gerit aquam, mundus potest esse apud Deum; si autem peccaverit, & tota aqua pelagi, & fluminum se laverit, sordidus est; & miser ante Deum. *Chrysostomus* in hom. 74. Attende autem, quod ubi de decimis loquebatur convenienter dixit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Decima enim elemosyna quædam est. Quid autem nocet elemosynam dare? Non tamen hoc dixit sicut legalem observationem inducens. Hic autem, ubi de purgationibus, & immunditiis disputat, non hoc addit; sed ostendit quod de necessitate ad interiorem munditiam exterior sequitur; quod quidem extra est calicis, & paropisidis, corpus vocans; quod autem intus est, animam. *Origenes* (tract. 25.) Hic sermo non instruit, ut festinemus esse iusti, non apparere. Qui enim studet ut appareat iustus, quæ à foris sunt, mundat, & quæ videntur curat; cor autem, & conscientiam negligit. Qui autem studet ea quæ intus sunt, id est cogitationes, mundare, consequens est ut etiam ea quæ à foris sunt, faciat munda. Sed omnes falsi dogmatis professores, calices sunt à foris quasi mundati, propter speciem religionis, quam simulat; ab intus autem pleni rapina, & simularione, dum rapiunt homines ad errorem. Calix etiam est vas ad potum, paropsis ad cibum. Omnis ergo sermo, per quem potamur spiritualiter, vel omnis narratio, per quam nutritur, vas sunt potus, & cibi. Qui ergo student compositum proferre sermonem, magis quam salutaris sensu replerem, calix ejus à foris mundatus est; ab intus autem sordibus vanitatis impletus. Sed & literæ legis, & Prophetarum calices spiritualis potus, & paropsis des necessarium es carum sunt. Scribæ quidem, & pharisæi student sensum exteriorum mundum demonstrare; discipuli autem Christi sensum spiritualem mundare festinant.

(i) *Origenes* (tract. 25.) Sicut habetur superius, intus pleni rapina, & intemperantia; similiter hic pleni sunt hypocritæ, & iniquitates, qui comparantur ossibus mortuorum, & immunditiæ universæ: unde dicit: *Væ vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui ad gloriæ sepulcris ædificantur, & ornatis monumenta iustorum*. *Origenes* (tract. 26.) Non satis rationabiliter comminari videntur adversus eos qui ædificant sepulcra Prophetarum; quantum enim ad hoc laudabile aliquid faciebant: quomodo ergo erant digni suscipere hæc? *Chrysostomus* in hom. 75. Non ergo eos incusat, quoniam sepulcra ædificant; sed intentioni eorum detrahit, cum qua ædificant: quoniam non propter honorem eorum qui occisi fuerant, sed sicut pompam sibi statuentes in occisionibus illorum, & formidantes ne forte tempore procedente, se-

S. Thom. Oper. Tom. VIII.
(1) *Al.* Christi. (2) *Apud P. Nicolajum est* lita sunt calce, & ornata marmoribus, & auro, coloribusque distincta.

ronymus (super *Quia similes estis*.) Sepulcra autem forissecus (2) lævigata sunt calce, & ornata marmoribus in auro, coloribusque distinctis; intus autem plena sunt ossibus mortuorum: unde dicitur: *Quia apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia*. Sic autem, & perversi magistri, qui alia docent, & alia faciunt, munditiam habitu vestis, & verborum humilitate demonstrant; intus autem pleni sunt omni spurcitia, & avaritia, & libidine: & hoc manifeste exprimit inferens: *Sic & vos à foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hyprocritæ, & iniquitate*. *Origenes* (tract. 25.) Omnis enim iustitia simulata mortua est, quæ propter Deum non fit; magis autem nequam iustitia est; sicut mortuus homo non est homo; & sicut mimimi, qui personas suscipiunt aliorum, & non sunt ipsi quos simulant. Tanta ergo offa intus eis, & immunditiæ, quanta bona simulant externi affectu. Videntur autem à foris iusti coram hominibus, non eis quos Scriptura appellat deos, sed coram eis qui sicut homines moriuntur. *Gregorius* 26. *Moral.* (cap. 28. in novis exemp. cap. 23.) Ante districtum vero iudicium excusationem ideo de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum omnimodum sanctitatis ostendunt, ipsi sibi sunt testimonio quia bene vivere non ignorant. *Chrysostomus* super *Matth.* (hom. 45. in oper. imperf.) Dic autem, hypocrita: si bonum est esse malum, ut quid non vis apparere quod vis esse? Nam quod turpe est apparere, turpis est esse; quod autem formosum est apparere, formosus est esse. Ergo aut esto quod appares, aut appare quod es.

(k) *Hieronymus* (hoc loco.) Prudentissimo syllogismo arguit eos esse filios homicidarum, dum ipsi opinione bonitatis, & gloriæ in populo ædificant sepulcra Prophetarum, quos majores eorum interfecerunt: & hoc est quod dicit: *Væ vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui ad gloriæ sepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum*. *Origenes* (tract. 26.) Non satis rationabiliter comminari videntur adversus eos qui ædificant sepulcra Prophetarum; quantum enim ad hoc laudabile aliquid faciebant: quomodo ergo erant digni suscipere hæc? *Chrysostomus* in hom. 75. Non ergo eos incusat, quoniam sepulcra ædificant; sed intentioni eorum detrahit, cum qua ædificant: quoniam non propter honorem eorum qui occisi fuerant, sed sicut pompam sibi statuentes in occisionibus illorum, & formidantes ne forte tempore procedente, se-

T 4 pul-

pulvis destructis, tabescat tunc iudicæ memoria. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 45. in op. imperf.) Vel quia dicebant apud se: Si bene fecerimus pauperibus, non multi vident, & pro tempore vident: nonne ergo melius ædificia facimus, quæ omnes aspiciunt, non solum in hoc tempore, sed etiam in posterum? O insipiens homo, quid tibi prodest post mortem ista memoria, si ubi es torqueris, & ubi non es laudaris? Dum autem Judæos castigat Dominus, Christianos docet: nam si ad illos solos dixisset hæc, dicta fuissent tantum, non etiam scripta; nunc autem & dicta sunt propter illos, & scripta propter istos. Si ergo juxta alia bona fecerit homo ædificia sancta, additamentum est bonis operibus; si autem sine aliis bonis operibus, passio est gloriæ secularis. Non enim gaudent martyres quando ex illis pecuniis honorantur in quibus pauperes plorant. Semper etiam Judæi præteritorum sanctorum cultores fuerunt, & presentium contemptores, magis autem & persecutores. Non enim sustinentes increpationes Prophetarum suorum, persequerantur eos; & occidebant; postea vero nascentes filii intelligebant culpas patrum suorum; & ideo quasi de morte innocentium Prophetarum dolentes, ædificabant memorias eorum; & ipsi tamen similiter persequerantur, & interficiebant suos Prophetas, increpantes eos propter peccata sua; & ideo subditur: *Et dicitis: Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essetis socii eorum in sanguine Prophetarum.* Hieronymus (parum ante illud; *Et vos implete.*) Hoc autem etiam sermone non dicant, opere loquantur, ex eo quod ambitiose, & magnifice ædificant memorias occisorum. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 45. in op. imperf.) Quæ ergo cogitabant in corde, talia loquebantur & factis. Naturalem autem consuetudinem omnium malorum hominum hic Christus exponit: quia alter alterius culpam cito intelligit, suam autem difficile: homo enim in causa alterius tranquillum habet cor, in sua vero turbatum. In causa ergo alterius de facili possumus omnes justi iudices esse. Ille autem vere justus, & sapiens est qui sibi iudex fieri potest.

Sequitur: *Itaque testimo nio estis vobismetipsis quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt.* *Chrysoſtomus* in hom. 75. Qualis autem est incusatio, solum esse homicidæ eum qui non comminacit menti patris? Patet quod nulla: unde manifestum est quod propterea hoc dicit, quia occulte insinuat malitiæ similitudinem. *Chrysoſtomus*

(1) *Al.* in montem. Ex edit. P. Nicol. (a) Non, ut prius indicabatur, super Matth. quasi ex Chrysoſtomo supposito opere imperfecto.

tomus super Matth. (hom. 45. in op. imperf.) Testimonia enim sunt de filiis moris parentum: si enim pater fuerit bonus, & mater mala, aut è converso, filii interdum patrem sequuntur, interdum matrem. Si autem ambo fuerint aquales, fit quidem aliquando ut de bonis parentibus mali exeant filii, ut è converso, sed raro. Sic enim hoc est sicut cum extra regulam naturæ nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos non habens. *Origenes* (tract. 26.) Sed & in prophetiis dictis narratio secundum historiam est corpus, spiritualis autem sensus est anima; sepulcra ipsæ literæ Scripturarum, & libri. Qui ergo solum historiam attendunt, corpora Prophetarum colunt in litteris posita, quasi in quibusdam sepulcris; & dicuntur pharisæi, id est præcisi, quasi animam Prophetarum præcidentes à corpore.

(1) *Chrysoſtomus* in hom. 75. (a) Quia dixerat contra pharisæos, & scribas, quod filii essent eorum qui occiderant Prophetas, nunc manifestat quod in malitia eis similes erant; & quod fictio erat hoc quod dicebant, quod non communicassent operibus eorum, si fuissent in tempore illo: & ideo dicit: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Non quidem hoc dicit, quasi injungens, sed quasi prædicans quod futurum erat. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 45. op. imperf.) Prophetizat enim illis futurum esse ut sicut patres eorum interfecerunt Prophetas; sic & ipsi interficerent Christum, & Apostolos, & ceteros sanctos: atputa si contra aliquem litiges adversarium, diebus illi, Fac mihi quod es facturus; non jubes ut faciat, sed ostendis te intelligere quod cogitat facere. Et quidem quantum ad veritatem, exceſserunt mensuram patrum suorum: illi enim homines occiderunt, isti Deum crucifixerunt. Sed quia voluntate sua descendit (1) in mortem, non imputat illis suæ mortis peccatum; imputat autem illis mortem Apostolorum, ceterorumque sanctorum: & ideo dicit, *Implete;* & non sicut benigni, & iusti iudicis est suas injurias contemnere, & aliorum injurias vindicare. *Origenes* (tract. 26.) Implet etiam mensuram patrum iniquitatis per hoc ipsum quod non credunt in Christum. Causa autem incredulitatis fuit quoniam semper animam suam dederunt circa historias corporales, nihil spirituale in eis volentes intelligere: *Hilarius* (c. 24.) Quia ergo mensuram patrum voluntatis implebunt, ideo & serpentes, & viperina generatio sunt: unde sequitur: *Serpentes, gemina*

(1) *Al.* in montem. Ex edit. P. Nicol. (a) Non, ut prius indicabatur, super Matth. quasi ex Chrysoſtomo supposito opere imperfecto.

Viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Hieronymus (super illud, *Serpentes, gemina viperarum.*) Hoc ipsum & Joannes Baptista dixerat. Sicut ergo de viperis, inquit, nascuntur viperæ; sic de homicidis patribus vos nati estis homicidæ. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 45. in op. imperf.) Gemina autem viperarum dicitur, quoniam talis est viperarum natura ut filii rapiant uterum matris; & sic procedant; & sic Judæi semper parentes condemnant, reprehedentes eorum facta. Dicit autem: *Quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Numquid sepulcra sanctorum ædificantes? Sed primus gradus pietatis est sanctitatem diligere, deinde sanctos sine causa enim justos honorat qui justitiam spernit. Non possunt sancti amici esse illorum quibus Deus est inimicus. An forsitan hominem vobiscum vos liberabit, quia videmini esse in populo Dei? Puto autem quod melior est inimicis apertus, quam amicus falsus: sic & apud Deum odibilior est qui servum Dei se dicit, & mandata diaboli facit. Apud Deum quidem qui hominem occidere disponit antequam occidat; homicida habetur: voluntas enim est quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo. Opera autem testimonia sunt voluntatis. Non ergo querit Deus opera propter se, ut sciat quomodo iudicet, sed propter alios, ut omnes intelligant quia justus est Deus. Provideat autem Deus occasione peccandi malis, non ut peccare faciat, sed ut peccatorem ostendat, & bonis præbeat occasionem, per quam ostendat propostum voluntatis suæ. Sic ergo scribis, & pharisæis dedit occasionem ostendendi voluntatem suam: unde concludit: *Ideo ecce mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas.* *Hilarius* (c. 24.) Idem Apostolos, qui de futurorum revelatione Prophetæ sunt, de Christi agnitione sapientes, de legis intelligentia scribæ. *Hieronymus* (super illud, *Eccoe ego mitto.*) Vel observa juxta Apostolum scribentem ad Corinthios, varia dona esse discipulorum Christi: alios Prophetas, qui ventura prædicant; alios sapientes, qui novent quando debent proferre sermonem; alios scribas in lege doctissimos; ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, Petrus crucifixus, flagellatus in Actibus Apostolorum discipuli: & persecuti sunt eos de civitate in civitatem, expellentes de Judæa, ut ad Gentium populos transmigrarent. *Origenes* (tract. 26.) Vel scribæ qui mittuntur à Christo sunt secundum Evangelium, quos & spiritus vivificat, & littera non occidit, sunt littera legis, quam sequentes in

vanas superstitiones inveniunt. Simplex autem Evangelii narratio sufficit ad salutem. Scribæ autem legis, scribæ novi testamenti adhuc per detractionem flagellant in synagogis suis; sed & hæretici, qui sunt spirituales pharisæi, linguis suis Christianos flagellant, & persequuntur de civitate in civitatem, interdum corporaliter, aliquando autem spiritualiter, volentes eos expellere quasi de propria civitate legis, & Prophetarum, & Evangelii in aliud Evangelium. *Chrysoſtomus* super Matth. (hom. 75.) Deinde ut ostendat quoniam non impune hoc faciunt, ineffabile eis ex his timore incutit unde subditur: *Ut veniat super vos omnis sanguis. Rabbanus.* Id est, omnis debita ultio pro effuso sanguine iustorum. *Hieronymus* (super *Ut veniat super vos omnis sanguis.*) De Abel quidem nulla est ambiguitas quia is sit quem Cain frater occiderit. Justus autem non solum ex Domini nunc sententia, sed ex Genesis testimonio comprobatur, ubi accepta ejus à Deo narratur munera. Querimus autem quis fuerit iste Zacharias filius Barachia, quia multos legimus Zacharias; & ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum est: *Quem occidistis inter templum & altare.* Alii Zachariam filium Barachia dicunt qui in duodecim Prophetis undecimus est, patricius in eo nomen consentit; sed ubi occisus sit inter templum & altare, Scriptura non loquitur, maxime cum temporibus ejus vix ruina templi fuerit. Alii Zachariam patrem Joannis intelligi volunt. *Origenes* (tract. 26.) Venit enim ad nos (1) quædam traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo ubi virginibus quidem licet adorare Deum; (2) expertæ autem thoram virilem non permittebantur in eo consistere. Maria autem postquam genuit Salvatorem, ingrediens ad orandum stetit in illo virginum loco. Prohibitibus autem eis qui noverant eam jam filium genuisse, Zacharias dixit, quoniam digna est virginum locorum adhuc sit virgo. Ergo quasi manifestissime adversus legem argenti occiderunt eum inter templum & altare viri generationis illius: & sic verum est verbum Christi quod dixit ad præfentes, *Quem occidistis.* *Hieronymus* (super eodem loco.) Hoc tamen quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Alii istum volunt esse Zachariam qui occisus sit à Joas Rege Judæ inter templum & altare, id est in atriis templi. Sed observandum, quod ille Zacharias non fuit filius Barachia, sed Jojada sacerdotis. Sed Barachias in lingua nostra (3) benedicens Deum

(1) *Al.* omittitur quædam. (2) *Al.* ex parte autem earum, thoram virilem non permittebant in eo, &c. (3) *Nicolaus* Benedictus Domini

dicatur; & sacerdotis Jojadæ justitia Hebræo nomine demonstratur. In Evangelio vero quod utuntur Nazarenæ, pro filio Barachie filium Jojadæ scriptum reperimus. *Remigius*. Quærendum est autem quomodo usque ad sanguinem Zachariæ dixerit, cum plurimorum sanctorum sanguis postea fuerit effusus? Solvitur autem sic. Abel pastor ovium fuit in campo occisus; Zacharias fuit sacerdos in atrio templi interfectus. Ideo ergo Dominus hos duos commemorat, quoniam per hos omnes sancti Martyres designantur, laicalis scilicet, & sacerdotalis ordinis. *Chrysostomus* in hom. 75. Abel etiam commemoravit, ostendens quoniam ex invidia essent Christum, & discipulos ejus occisuri. Zachariæ autem mentionem fecit, quoniam duplex præsumptio fuit in ejus occisione: non enim solum in sanctum hominem facta est, sed & in loco sancto. *Origenes* (tract. 26.) Zacharias etiam interpretatur memoria Dei. Omnis ergo qui memoriam Dei disperdere festinat, in eis quos scandalizat. Zachariæ sanguinem videtur effundere filii Barachiz. Per benedictionem enim Dei, memores sumus Dei. Ab impiis etiam memoria interficitur Dei, quando & templum Dei à lascivis corrumpitur, & altare ejus per negligentiam (1) orationum fordidatur. Abel autem luctus interpretatur. Qui ergo non recipit quod scriptum est supra 5. *Beati qui lugent*, sanguinem effundit Abel, hoc est veritatem luctus salutaris. Effundunt etiam aliqui veritatem Scripturarum quasi sanguinem earum: quia omnis Scriptura, nisi secundum veritatem intelligatur, mortua est. *Chrysostomus* in hom. 75. Et ut omnem excusationem illis adimeret, ne dicerent: Quoniam ad Gentes eos missi, propter hoc scandalizati sumus; prædixerat quod ad eos essent mittendi discipuli: & ideo de ultione eorum subditur: *Amen dico vobis: venient hæc omnia super generationem istam*. *Glossa* (a) (ordinaria.) Non hos tantum præsentem dicit, sed omnem generationem præcedentem, & futuram: quia omnes una civitas sunt, & unum corpus diaboli. *Hieronymus* (ut supra.) Regula autem Scripturarum est duas generationes, bonorum, & malorum, nosse. De generatione bonorum dicitur Psalm. 111. „Generatio justorum benedicetur:“ de malis vero in præfenti loco, *Generatio viperarum*. Ergo & isti, quia similia sicut Cain, & Joas, contra Apostolos gesserunt, de una generatione esse referuntur. *Chrysostomus* in hom. 75. Vel aliter. Quia gehennæ poenam, quam eis comminatus fuerat, tardabat, comminatur etiam eis præsentia mala, cum dicit: *Venient hæc omnia super generationem istam*. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 46. in oper. imperf.) Sicut enim omnia bona, quæ in singulis generationibus à constitutione mundi omnes sancti merentur, illis novissimis sunt donata qui receperunt Christum; sic omnia mala quæ in singulis generationibus à constitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, super novissimos Judæos venerunt, quia Christum repulerunt. Aut ita. Sicut omnia justitia præcedentium sanctorum, immo omnium sanctorum, tantum mereri non potuit quantum gratiæ datum est hominibus in Christo; sic omnium peccata impiorum tantum malum mereri non potuerunt quantum venit super Judæos, ut (2) corpore talia paterentur, qualia passi sunt à Romanis; & sic postmodum omnes generationes eorum usque in finem sæculi projicerentur à Deo, & ludibrium serent. Gentibus universis. Quid enim pejus potest fieri quam Filium cum misericordia, & humilitate venientem non suscipere, sed talia modo interficere? Vel ita. Omnis gens, vel civitas non statim cum peccaverit, punit eam Deus, sed expectat per multas generationes; quando autem placuerit Deo perdere civitatem illam, aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis: quoniam quæ omnes merentur, hæc sola passa est: sic & generatio Judæorum pro patribus suis videtur punita. Vere autem non pro illis, sed pro se condemnati sunt. *Chrysostomus* in hom. 75. Qui enim multos jam peccantes vidit, & incorrectus permanfit, eadem rursus, vel graviora faciens, majori est poenæ obnoxius.

(1) *Chrysostomus* in hom. 75. Post prædicta, ad civitatem convertit Dominus sermonem, ex hoc erudire volens auditores; unde dicit: *Hierusalem, Hierusalem*. Hæc autem duplicatio miserentis est, & valde diligentis. *Hieronymus* (super *Hierusalem, Hierusalem*.) Hierusalem autem non saxa, & ædificia civitatis, sed habitatores vocat; quam patris plangit affectu. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 46. in oper. imperf.) Prævidens ruinam civitatis illius, & plagam quæ à Romanis superventura erat, recordabatur quidem sanguinis sanctorum suorum, qui effusus erat ab illis, & postmodum effundendus: unde addit: *Quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*. (3) Missus ad te Ezechiel occidit, & servum meum Hieremiam lapidavit.

(2) *Al.* orationum fordidarum. (3) *Al.* corporalia. *Nicolai* talia tantum habet. (4) *Al.* Missus ad Ezechiel.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ex nulla Glossa refert; sed insinuat Hieronymus.

Ezechielem tractum per lapides excerebravit: quomodo salvaberis, quæ ad te medicum non venire permittis? Et non dixit, occidisti, aut lapidasti, sed *occidis, & lapidas*; idest, quasi hæc propria, & naturalem consuetudinem habes ut occidas, & lapides sanctos. Eadem (1) enim fecit Apostolis quæ fecerat aliquando Prophetis. *Chrysostomus* (in hom. 75.) Deinde, cum vocasset eam, & abominabiles ejus occisiones dixisset, quasi se excusando dixit: *Quoties volui congregare filios tuos?* quasi dicat: Neque prædictis occisionibus me à tua benevolentia averisti; sed volui te mihi adjungere, non semel, aut bis, sed multoties. Magnitudinem autem amoris sub similitudine gallinæ ostendit. *Augustinus* de Quasi. Evang. (Lib. 1. cap. 36.) Hoc enim genus animantium magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta infirmetur & ipsa; & quod difficile in cæteris animantium invenies, alis suis filios protegens contra milvum pugnat, sic & mater nostra Dei sapientia, per carnis susceptionem infirmata quodammodo: secundum illud Apostoli 1. Corinth. 11. „Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus:“ protegit infirmitatem nostram, & resistit diabolo, ne nos rapiat. *Origenes* (tract. 26.) Filios autem Hierusalem dicit, secundum quod dicimus semper civium successores præcedentium filios. Dicit autem: *Quoties volui*, cum sit manifestum semel cum docuisse in corpore Judæos: semper enim Christus præfens fuit, & in Moysè, & in Prophetis, & in Angelis, ministrantibus salutis humane per singulas generationes. Si quis autem non fuerit congregatus ab eo, judicabitur quasi noluerit congregari. *Rabanus*. Cessant igitur hæretici Christo principium ex virgine dare: omittant alium legis, & Prophetarum Deum prædicare. *Augustinus* in Enchiridion (cap. 99.) Ubi est autem illa omnipotentia qua in Cælo & in terra omnia quæcum-

que voluit fecit; si colligere filios Hierusalem voluit, & non fecit? An non potius illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit; sed ea quoque nolente, filios ejus collegit ipse quos voluit? *Chrysostomus* (in hom. 75.) Deinde comminatur poenam, quam semper formidaverunt, scilicet civitatis, & templi everisionem, dicens: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 46. in oper. imperf.) Sicut enim corpus, anima recedente, prius quidem frugescit, deinde putrefcit, & solvitur; sic & templum nostrum, Dei spiritu recedente, prius seditionibus, & indiscipline replebitur, deinde venit ad ruinam. *Origenes* (tract. 26.) Semper etiam eis qui noluerunt congregari sub alis ejus, comminatur Christus; *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, idest anima, & corpus. Sed & si quis ex vobis noluerit congregari sub alis Christi, ex tempore illo ex quo congregationem refugit actu magis quam corpore, non videbit pulchritudinem Verbi, donec poenitens à proposito malo dicat: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Tunc enim Verbum Dei benedictum venit super eos hominibus quando fuerit quis conversus ad eum: unde sequitur: *Dico enim vobis: non me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini*. *Hieronymus* (in fin. Comment. in cap. 23. Matth.) Quasi dicat: Nisi poenitentiam egeritis, & confessi fueritis ipsum me, de quo Prophetæ cecinerunt, Filium omnipotentis Patris, faciem meam non videbitis. Habent ergo Judæi datum sibi tempus poenitentiz. Consecratur benedictum qui venit in nomine Domini; & Christi ora conspicitur. *Chrysostomus* (in hom. 75.) Vel aliter. Per hoc occulte secundum adventum significavit: quoniam tunc omnino eum adorabunt. Quod autem dicit, *Amodo*, ad tempus Crucis refertur.

(1) *Al.* deest enim.

CAPUT XXIV.

(a) **ET** egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis supra lapidem, qui non destruat.

(b) Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt; & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi? Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; & multos seducant.

(c) Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum: videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum statim est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum.